



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 48. Cherobugdi obsidio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

vero Rex Angliæ Falesiam urbem Talboto Duci dono dedisset, illum vero Galli in arce Drocensi captivum detinerent, eoquod Honflorii Præfectus contra Rothomagensis pactum hanc urbem reddere recusasset, Galli pro parte sua Talbotum libertati restituere sponderunt, Anglis quoque concessum, ut tradita urbe in Patriam suam reverterentur. His conditionibus utrinque acceptatis Rex Falesiam urbem suo imperio junxit, ejusque Præfecturam Santrallio demandavit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1450.

§. XLVIII.

*Cheroburgi obsidio.*

Biduo post, nimirum vigesima tertia Julii die, Rex Donnifrontem urbem cingi jussit, quæ tamen iisdem, quibus Falesia, & Cadomus, conditionibus dedicationem fecit. Porro Anglis unicum in tota Normannia supererat Cheroburgum, quod validissimum erat oppidum, fortique munitum præsidio. Nihilominus Connestabilis omnibus suis tormentis rem aggressus, pluribus cuniculis incensis muros subruebat, tantoque impetu urbem quatibat, ut præsidarii ad dedicationem compellerentur, quamquam non sine Gallorum damno; quippe Cotinius Franciæ Admiralis globo æneo ex grandiore tormento excusso, & Tudaldus

*Domfront.*

T 2

Treca-

Sæcul. XV. Treçarum Prætor alterius machinæ,  
A.C 1450. quam colubrinam vocant, globo trajecti

*Joa. Chart.  
 Hist. Carol.  
 VII. in hunc  
 ann.*

occubuerunt, ingenti omnium luctu. Ceterum tam mira dexteritate in arena congesta locabantur tormenta, ut æstus maris, quamvis in singulos dies binis vicibus impulsus efferveret, nullum omnino damnum inferret. Porro Angli urbem ex hac parte inexpugnabilem fore arbitrati, rei novitate adeo obstupuerunt, ut deditionis pacta inirent. Quocirca Thomas Guelus præsidii Præfectus proprium Filium suum, ipsumque Talbotum belli Ducem, donec cum hoste transigaretur, obsides dedit, cum vero inter conditiones dedendæ urbis præcipua esset, ut Filius suus sibi redderetur, & illa executioni data esset, ejus Pater arcis Præfectus mox die vigesima secunda Augusti urbem Regi cedebat; illius vero Præfectura Domino Beuillio commissâ est, quem Rex pariter Admiralis Franciæ dignitate per Cotinii obitum vacante auxit. Hujus urbis expugnatione tandem Rex ad gloriæ summam pervenit, cum intra unius anni spatium universam Normanniam suo imperio subjecisset. Quare in perennem beneficii memoriam per universum Regnum mense Septembri, ac sequentibus annis in perpetuum eodem die, quo Cheroburgum in potestatem Regis venit, supplicationes publicas fieri

fieri decrevit, & hodie dum pia hæc consuetudo Rothomagi observatur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1450.

§. XLIX.

*Mors Francisci Britannicæ Ducis;  
Petrus Frater ejus successor.*

Ingens illa lætitia, quam Carolus VII. *Monstrelet.*  
ob tot, tantasque victorias concepit, *vol. 3.*  
non sine luctu fuit. Hoc enim anno e- *Argentre*  
reptum sibi planxit Principem Gallici no- *l. 12. c. 3.*  
minis studiosissimum, & in Normanna ex-  
peditione editis fortitudinis suæ argu-  
mentis longe celeberrimum. Hic erat  
Franciscus Britannicæ Dux, qui die deci-  
ma septima Julii, quæ Sabbatum erat,  
in castro Erminensi prope Venetias in *Hermine*  
Britannia ex hydrope fati functus est. *Vannes*  
Natus erat die undecima Maji Anno sa-  
lutaris millesimo quadringentesimo decimo  
quarto, unicum suscepit Filium, qui in  
pueritia diem suum obiit. Quare nullo  
hærede relicto, Petrus II. Francisci fra-  
ter successit, ita exigente lege, quam Joan-  
nes Britannicæ Dux, cognomento fortis  
sanxerat, vi cujus a jure succedendi Fi-  
liæ excludebantur, si proles masculæ li-  
nea recta in Britonum domo superstites  
essent. Quapropter hac lege duæ illæ *Vid. supr.*  
Filie, quas Franciscus reliquerat, Duca- *lib. CIX.*  
tu arcebantur. Porro immodico erga *§. 132.*  
Franciam affectu deceptus, Ægidii fra-